

3r RESCRIPTUM BEATI PAPAE DAMASI AURELIO ARCHIEPISCOPO DIRECTUM.

1 REVERENTISSIMO FRATRI ET COEPISCOPO Aurelio Damasus.

2 *Scripta sanctitatis tuae debita* veneratione suscepimus, in quibus sitire venerationem ac prudentiam tuam apostolica instituta, ut dignum erat, cognovimus. Qua de re quaedam ex his, quae petisti, misimus et quaedam adhuc, cum iterum miseris, mittere cupimus. Nullum tamen a beati Petri principis apostolorum fine praedecessorem nostrum pretermisimus, de quorum statutis aliquid tibi per Amonium presbyterum et Felicem diaconum sub certis signaculis non mitteremus. 5 10

3 Quae te et custodire optamus et aliis praedicanda mandamus, ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur et inviolate servantur atque ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur, quia violatores voluntariae canonum graviter a sanctis patribus iudicantur et a sancto spiritu, cuius instinctu ac dono dictati sunt, dampnantur, quoniam blasphemare spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut praefixum est, aliquid aut proterve agunt aut loqui presumunt aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim presumptio manifeste unum genus est blasphemantium spiritum sanctum, quoniam, ut iam praelibatum est, contra eum agit, cuius nisu et gratia idem sancti editi sunt canones. 15 20

4 *Diabolica vero nequitia* plerosque subtiliter fallere solet, et ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis saepissime illudit, ut pro salubribus nocitura persuadeat. Idcirco norma sanctorum canonum, qui sunt spiritu dei conditi et totius mundi reverentia consecrati, fideliter a nobis est scienda et diligenter tractanda, ne quoquo modo sanctorum patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur, sed fidelissime per ea gradientes cum eis, qui eos instinctu condiderunt divino, mercedis gloriam et laboris cumulum eorum meritis auxiliante domino habere mereamur. 25

5 *His itaque rite deliberatis et ad ecclesiarum vestrarum notitiam nostra deliberatione perlatis, parere vos* eorundem sanctorum canonum regulis summopere convenit, ne in aliquo eis obviare quorundam ignavia faciat, sed vestra sapiens et sana doctrina, quae cupit vos per omnia placere deo, illis coheredes et comparticipes caelestis regni in sedibus fideles cooperatores ostendat. 30

6 Data XVI. Kl. Iunii, Gratiano et Syricyo, vv. cc. cons. EXPLICIT. 35

12 inviolate¹] canceled V. 13 diligenter] diligentur V. 13–14 et ... dampnantur] add. in marg. V. 21 fallere] corr. from falli V. 22 salubribus] corr. from salubris V. 26 quod] corr. from quodquot V. 30 perlatis] over erasure V.

4 Scripta ... suscepimus: *Honorius Imp., Ep. ad Bonifatium episc. Rom.* (GUENTHER, CSEL 35, 1 p. 83 l. 6–8; *Vat. lat. 1341, fol. 156vb*). 12–13 quia ... canonum: vgl. *Clem. I., J³ †26, 16*: Omnes ergo legum divinarum libenter violatores et sacrarum institutionum voluntarie perturbatores ecclesiastica indignos regula et sancta communione iudicabat. 21–23 Diabolica ... persuadeat: *Leo I., J³ 954* (SCHWARTZ, ACO II, 4 Nr. 18 p. 20 l. 11–13; *Vat. lat. 1341, fol. 143va*). 22–23 canonum ... consecrati: cfr *ibid.* (p. 21 l. 2f.; fol. 143vb). 29–31 His ... convenit: *Felix III., J³ 1230, c. 6* (THIEL, *Epistulae Romanorum pontificum I* Nr. 13 p. 266; *Vat. lat. 1341, fol. 173va*).